



The Holy See

PAULUS PP. VILITTERAE APOSTOLICAEAD MAIOREM* SANCTUS PETRUS CLAVER, CONFESSOR,
PROCLAMATUR PRINCIPALIS CAELESTIS PATRONUS COLUMBIANAE SOCIETATIS IESU PROVINCIAE
(OCCIDENTALIS ET ORIENTALIS), SECUNDARIUS CAELESTIS PATRONUS MEXICANAЕ SOCIETATIS IESU
PROVINCIAE SEPTEMTRIONALIS. Ad perpetuam rei memoriam. — «Ad maiorem Dei gloriam» una cum animarum
salute inter Columbianae dicionis fideles provehendam, Sanctus Petrus Claver, Confessor e Societate Iesu, adeo per
quadraginta annos adlaboravit, ut non modo ab eiusdem Ignatianae Familiae sodalibus sed etiam a Columbiano populo
Christiano peculiari coleretur pietate. Etenim Barrancabermejensis dioecesis in Columbia per suum Ordinarium nuper a
Nobis effigiegitavit ut Sanctus Petrus Claver praecipuus suus apud Deum Patronus auctoritate Nostra confirmaretur; quod
Nosmet Ipsi, per similes Litteras Apostolicas die XIX mensis Augusti hoc ipso anno Piscatoris anulo obsignatas,
perlibenter indulsimus. Nunc vero dilectus filius hodiernus Societatis Iesu Procurator Generalis, secundum piam
venerandamque consuetudinem domesticam, a Nobis postulat, ut eundem Caelitem quarundam memorati Ordinis
provinciarum, turn Columbianae tum Mexicanae dicionis, caelestem Patronum benigne renuntiare dignemur. Nos autem,
de religiosis Sodalitatibus earundemque spirituali incremento, haud secus ac Decessores Nostri, iugiter solliciti,
huiusmodi precibus annuendum libenti censemus animo. Quapropter, ex Sacrae Rituum Congregationis consulto, certa
scientia ac matura deliberatione Nostra deque Apostolicae potestatis plenitudine, harum Litterarum vi perpetuumque in
modum, Sanctum Petrum Claver, Confessorem: I — *praecipuum caelestem Patronum* Columbianae Societatis Iesu
provinciae, tum Occidentalis tum Orientalis, addita facultate eiusdem festum die IX mensis Septemboris ritu primae classis
quotannis celebrandi, ad normam n. 46 c) Rubricarum Codicis; II — *secundarium caelestem Patronum* Mexicanae
septemtrionalis eiusdem Ordinis provinciae, addita item facultate illius festum eodem die, sed ritu secundae classis,
quotannis celebrandi, ad normam n. 46 d) Codicis Rubricarum, confirmamus, seu denuo constituimus ac declaramus,
omnibus additis honoribus et privilegiis liturgicis, quae principalibus vel secundariis coetuum Patronis rite competunt.
Contrariis quibuslibet minime obstantibus. Haec edicimus, statuimus, decernentes praesentes Litteras firmas, validas
atque efficaces iugiter extare ac permanere; suosque plenos atque integros effectus sortiri et obtinere; illisque ad quos
spectant seu spectare poterunt, nunc et in posterum, plenissime suffragari; sicque rite iudicandum esse ac definiendum;
irritumque ex nunc et inane fieri, si quidquam secus super his, a quovis, auctoritate qualibet, scienter sive ignoranter
contigerit attentari. *Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die XV mensis Octobris, anno MCMLXIII,*
Pontificatus Nostri primo.

HAMLETUS I. Card. CICOGNANI
a publicis Ecclesiae negotiis

*A.A.S., vol. LVI (1964), n. 5, pp. 300-301

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana